



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Decimumquartum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

bum, auarum, & prorsus mundo deditum, miracula posse edere. Considerant illi, quid aliquando fortasse fuerit: sed quid per martyrium factus sit, non attendunt. Credant saltem saluatum, quem daemones martyrem confitentur.

Notatio ad Caput Decimumquartum.

Blasphe-
mia in Sā-
ctos puni-
tæ.
Geminum his narrat Cæsarius lib. 8. dial. cap. 69. *Simile,*
inquiens, habes de Annone Coloniensi Archiepiscopo, cui cum
post mortem multi detraberent, dicentes: eum Ecclesiarum fuisse dis-
membratorem & ciuium suorum excæcatorem; Dominus Deus in
translatione illius, quanta sanctitatis esset, signis plurimis ostendit.

Caput Decimum quintum.

De obsessio in Magdeburg quale ei testimonium perhibuerit.

EST in ciuitate Magdeburgensi quidam obsessus à dæmone pessimo, qui nullius timet exorcismos, nec vult respondere, nisi vni sacerdoti, qui specialem gratiam contra illum accepit à Domino: cui etiam sapè noua & occulta dicere consuevit. Postridie eius diei, quo occisus est Episcopus, præcepit illi sacerdos, vt aliquid noui ipsi diceret. Illo diutius reluctante, & presbytero instante, miro modo cœpit dæmon ridere, cachinnari, manus complodere. Cumque sacerdos diceret, *Quid habes, & quæ causa est tanti tripudij tui?* respondet ille: *Eiâ, eiâ: serò ille ENGELBERTVS, qui Coloniæ Episcopus erat, occisus est. Stupente sacerdote ac dicente, Mentiris: ille respondit, Citò percipies. Et sacerdos: Fuiisti in morte eius? Fui, inquit ille: imò non sunt tot graminis herbulae, quot ibi congregati fuimus. Cumque sacerdos diceret, Quid factum est de anima eius? lugubri voce respondit: Quando oculi eius sanguine obducti & oppressi fuere, anima nobis erepta est, & quò peruenit, ignoro. Post triduum audientes de morte pontificis, satis admirati sunt, quibus priùs verba dæmonis innotuerant. Ciuitas enim Magdeburgensis à loco cædis penè quatuor abest mansionibus. Et si autem diabolus mendax est ab initio, & pater eius, constat tamen ex*
Euan-

Serò; id est,
hesterno
vespere.

Joan. 8.